

collocandam noctibus singulis suis sumptibus incendere et servare, residuumque de praedictis redditibus pro se et suis usibus retinere pro labore. Nobisque idem dominus Conradus Pruze cum instantia supplicavit, quatenus bona et redditus praedictos et praedicta altari et vicariae praedictis et ad usum supra dictum applicare — et unire ipsamque vicariam oneribus praemissis onerare dignaremur. Nos itaque — auditis et intellectis eiusdem domini Conradi precibus ipsum extra capituli nostri locum cedere facientes, collationem et tractatum inter nos habuimus diligentem, tam de ecclesiae nostrae utilitate quoad huiusmodi, quam etiam praedictae vicariae, et sentientes nos in eo ecclesiae nostrae et eiusdem vicariae conditionem facere meliorem, ac votis nostrum singulis inquisitis et omnibus nobis in eo concordantibus, petito etiam et obtento consensu et voluntate honorabilis viri domini Nicolai decani nostri, eiusdem vicariae patroni apud nos illo tunc in capitulo praesentialiter constituti, tamquam eius, cuius interesse prae ceteris noscitur, praedicti domini Conradi Pruze ad capitulum nostrum revocati precibus — favorabiliter duximus annuendum. Et tandem praedicto domino Fridrico de Wilschicz vicario ad nostram praesentiam similiter evocato et praemissis omnibus et singulis sibi articulatim expositis quaesivimus ab eodem, si praedictos vellet acceptare redditus ac se et vicariam suam ad ministrandum sexagenam grossorum cum dimidia et ad servandum lampadem praedictam sponte obligare, quo respondente, quod vellet, nos praelibatos duos mansos cum dimidio cum areis et universis suis pertinentiis ad vicariam praedictam applicavimus — ordinantes, quod saepedictus dominus Fredricus vicarius et omnes sui in eadem vicaria successores bona et redditus praedictos tamquam eidem beneficio annexos — in perpetuum possidere et onera praemissa in omnem eventum de eadem vicaria supportare debeant, — eo duntaxat salvo, quod praedicto domino Conrado Pruze de redditibus praemissis unam sexagenam cum dimidia ad vitae suae tempora tantummodo annis singulis dare, et eo defuncto in anniversario suo perpetuis — debent temporibus ministrare. In cuius rei testimonium sigillum capituli nostri una cum dominorum decani et Fridrici vicarii praedictorum sigillis praesentibus duximus appendendum. Et nos Nicolaus decanus et Fridricus de Wilschicz vicarius supradicti ad ostendendum consensum nostrum in praemissis libere accessisse, sigilla nostra recognoscimus praesenti paginae benivole appendisse. Actum et datum Misnae anno domini M^o. CCC^o. LX^o. septimo feria sexta in crastino corporis Christi, quae fuit decima octava dies mensis Junii.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen mit den Siegeln des Capitels, des Decans Nikolaus und des Vicars Fr. von Wilschicz an Pergamentstreifen.

No. 572. 1367. 18. Oct.

Der Probst Johann zu Clöden bekennt hinsichtlich der Einsetzung, Bewrlaubung und Entlassung einzelner Pfarrer seines Bezirks vom Decan des Hochstifts für seine Person Vollmacht erhalten zu haben, während diese hinsichtlich aller übrigen kirchlichen Angelegenheiten dem Decan unmittelbar untergeordnet bleiben.

Ego Johannes praepositus in Klôdin notum facio — —, quod quia honorabilis vir dominus Nicolaus decanus ecclesiae Mynsensis hanc mihi concessit gratiam, quod